20

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VERMIBUS INTESTINORUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS ROE,

Hibernus,

A. B. T. C. D.


KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.



EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.


WELLCOME
LIBRARY

AMICO SUO,

EDVARDO HART, M. D.

VIRTUTE, PROBITATE, ET MORUM SUAVITATE,

EXIMIE CONSPICUO,

APUD *DURROW*,

IN COMITATU DE *KILKENNY*,

MEDENDI ARTEM QUADRAGINTA DUOS ANNOS,

FELICITER COLENTI,

HANC DISSERTATIONEM,

SACRAM ESSE VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VERMIBUS INTESTINORUM.

Diu mecum in animo revolvi, quid pro argumento mei Tentaminis Inauguralis seligerem; sed quo plus rem reputavi, eo magis quo me verterem hæsitabam. Varietas certe non mihi deerat, unde eligerem, sed hinc difficultas orta fuit; et moratus sum, ei similis cui optio conceditur ex magno picturarum vel statuarum numero, unam solummodo eximere; hic et illic se vertit, nam omnibus æque oculus gaudet, sed animum ejus haud facile explet: sic omnia mihi placebant, ni-

hil tamen fuit, de quo non antea copiosissime tractabatur. Sed quoniam, ab omnibus summos Medicinæ honores petentibus, ut quædam ad rem medicam pertinentia scribant, requiritur, pauca de Vermibus Intestinorum disserere visum est; et hoc malum, a magna morborum sylva quas medicina complectitur, selegi; non equidem spe aliquid novi in lucem proferendi, sed propter frequentem in his regionibus accessionem. Simul conceditur, hunc morbum facile inter dolentissimos, quibus plectitur gens humana enumerari; et optimo igitur jure summam medicorum attentionem sibi vindicare judico. Hac opinione imbutus, Vermium Historiam et Curationem, lectoris benignitate fretus, aggrediar.

DE VERMIUM NATURA VARIISQUE GENERIBUS.

Genera tria vermium canalem corporis humani alimentarium infestant, nempe, Ascarides, Tæniæ, et Trichurides.

Ascaridum duæ species scilicet, *Ascaris vermicularis* et *lumbricoides*. Ascaris *vermicula-*

ris vermis est corpore rotundo, albo, filo tenui similis, fere dimidium pollicis longus, cauda cuspidata, capite paulo obtusiore, et tribus papillis carnosis instructo, in quarum medio os situm est. Hæc species vivipara est, et intestinorum partem inferiorem habitat, præsertim colon et rectum, sed etiam in ventriculo, duodeno, utero, et vesica urinaria, inventa fuisse dicitur. Harum animalium multa millia cum fæcibus dejiciuntu r et simul ac expulsæ sunt, intestinis nunquam quiescere videntur, sed parvis corporibus fæces penetrare et sese abdere. Ascaris *lumbricoides*, vulgo *Lumbricus teres* vocatus, vermis est quinque vel sex pollices longus; in genere longitudo, etiamsi varians, quindecim aut plures aliquando, superare inveniatur. Corpus ejus teres, læve, et extremo ab utroque cuspidatum, calami anserini diametrum æquat; et colore albido vivum, sed mortuum subflavo videtur. Hæc species vivipara est, atque in duodeno et jejuno plerumque, sed aliquando in aliis intestinorum partibus, haud raro etiam in ventriculo, reperitur. Intestina crassa, nisi medicamentis illuc depellatur, nunquam invadit. Hic vermis infantes præcipue aggreditur, quibus symptomata durissima producit, quosque

morte lenta, miserrima sæpe conficit. Horum magna quantitas in infante eodem nonnunquam invenitur. Doctor HOOPER dicit, se puellam octo annos natam vidisse, quæ hebdomadæ spatio ducentos vel plures ex ano dejecit.

Secundum vermium genus corpus humanum invadens *Tænia* appellatur, et ab aliis generibus, signis sequentibus, facile distinguitur. Corpus ejus insigniter longum, album, et planum; ex catena articulorum innumerabilium, longitudine et latitudine inter sese variantium, constat; et angustius caput versus fit, quod parvum, quadratum, et osculis quatuor exiguis instructum est. Hujus generis duæ species sunt. Prima nullam partem in medio quatuor osculorum extantem possidet. Hæc species viginti pedes frequenter longa est, et aliquando etiam centum superare dicitur. Articulos versus medium pollicem latitudine æquat; sed caput versus et partem anteriorem, valde angusta est. Compagines ejus valde firmæ sunt. Species secunda eminentiam in medio quatuor osculorum sitam, et punctis acutis in forma radiorum dispositis armatam, possidet. Longitudo ejus de quatuor ad decem pedes fere variare observatur, quamvis longitudo multo ma-

jor invenitur. Hoc "monstrum horrendum, ingens," plerumque intestina parva, præcipue jejunum et ilium, infestat; aliquando in intestinis magnis, atque etiam in ventriculo invenitur.

Multum ab auctoribus disputatum est, an oviparum vel viviparum sit, et an quisque articulus in novum vermen converti possit. Speciei hujus longitudo interdum ita magna est, ut multi scriptores putaverint solum animalis exemplum esse, cui nulli fines assignarentur.

Si ulli articuli a corpore ejus disjungantur, potestate mirabili renovandi eos præditus est, ut ex hoc appareat, quomodo, quamvis indies per duos aut tres menses, unus aut duo pedes articulorum in uno exemplo dejicerentur, tamen alios vermes suppeditare ad infinitum, pergeret.

Pauca de *Trichuride* dicere adhuc nobis restat. Hic vermis os circulare, corpus rotundum ab uno ad duos pollices longum habet. Pars anterior corporis, instar fili tenuis est, et partes duas longitudinis ejus format; pars posterior obtusa est, et partem tertiam totius corporis tantum format. Hic vermis cæcum, ut plurimum occupat.

DE VERMIUM ORIGINE ET CAUSIS.

Scriptores usque ad hunc diem disputationes non terminaverunt, de modo quo vermes in intestina introducuntur, vel ibi generantur; sed vel victoriæ amore ardentes, vel theoriam propositam sustentandi cupidi, aliud alii proposuerunt. Hinc multarum et diversarum de hac re opinionum fons et origo, quarum omnes aut enumerare, aut enumeratas refellere, hic nobis non locus est: earum igitur aliquas, tantummodo hic tractabimus. Prima et veterrima opinio, quæ de vermium natura existebat, eorum originem ex putredine derivatam fuisse affirmat. Sed nemo qui structuram vermium et partes generationis examinavit, et cui hæc animalia viventia vel ova eorum ex utero protrusa videre contigerit, hanc opinionem vel in temporis momentum pro vera recipiet. Opinio secunda affirmat, in omnium hominum sanguine, et aliis fluidis animalium, ovula a principio adesse, et in quibusdam hominibus manere semper inertia; in aliis autem tem-

peramenti diversi, conditionem incremento suo necessariam adepta, vermes evadere: et in hujus sententiæ confirmationem, vermes in fœtuum intestinis inventos fuisse affirmatur. Quod ad ultimam hujus argumenti partem attinet, vermes in fœtuum intestinis inventos fuisse, nondum satis compertum habemus: prima vero pars, nihil aliud quam petitio principii est; nam quomodo hæc ova sanguinem aut alia fluida primo ingrediantur ab illis quæritur.

Nunc, symptomatis quibus vermes intestinales alius ab alio dignoscantur, descriptis, et opinionibus, quæ de earum origine habebantur, enumeratis; pro concesso habens, vermes aut ovula in intestina ingestos causam hujus morbi proximam esse; pauca de causis remotis quæ existentiæ eorum favent, hic memorare non omnino supervacaneum erit. Causæ remotæ in Prædisponentes et Excitantes commode dividuntur. Illarum prima sexus est. Hic morbus sexum fœmineum multo frequentius quam virilem aggreditur; nam numerus puellarum hoc morbo laborantium numero puerorum pene duplo major esse existimatur, quod ex corporis statu delicatiore, et fibris ejus laxioribus, pendere videtur.

Secundo, Vermes temperamenti leucophlegmatici homines plerumque invadit, quod e quantitate aucta muci et pituitæ intestinorum pendere videtur. Tertio, Ætas tenera huic morbo adulta obnoxior est. Quarto, Tempestas anni calida, pluviosa, corpus debilitat, ideoque generationi vermium favet. Contra, hyems valde frigida, sanguinem ex partibus extremis internas versus repellit, atque ita muci secretionem magnam promovet, qui nidum vermibus gratissimum facit. Quinto, Alii morbi, sicuti febres putridæ, scorbutus et scrofula, proclivitatem magnam huic morbo dant. Sexto, Natura loci, situs humidus, maritimus, causa admodum prædisponens est, sicuti in Hiberniæ partibus meridionalibus, ubi hic morbus multum grassatur. Denique, Causæ excitantes uno capite recenseri possunt, nempe, omnia quæ corpus debilitant, cibi concoctionem et intestinorum motum peristalticum infirmiores reddunt, et omnia quæ succorum gastricorum naturam mutant, vermium generationi multum favent.

DE VERMIUM SYMPTOMATIS.

NUNC ventum est ad partem difficiliorem quam adhuc tractavimus, quoniam vix ulla signa memorari queant quæ vermes interdum non producant. Sed hoc non mirabile apparebit, cum hunc morbum alios sæpissime comitari, et medicos symptomata cuique propria non accurate distinxisse consideraverimus. Hinc illa signorum confusio, quæ hujus morbi præsentiam indicare fere putantur, quæ plura in casibus multis absunt, et plura ad morbos alios referri queant. Symptomata ergo tantum, quæ sæpius occurrunt, hic enumerabo. Abdomen plerumque tumidum atque durum est, atque doloribus circa umbilicum lancinantibus afficitur. Intestina nunc obstipationem et tenesmum, nunc diarrhœam et sellas mucosas patiuntur. Ventriculus plenitudinis sensu, nausea, cibi fastidio atque cardialgia afficitur. Appetitus varietates mirabiles patitur, nunc nullus nunc vorax ; lingua albida, et halitus fœtidissimus est. Oculorum hebetudo languida, stridor dentium in somno, ani nariumque inter-

narum ardor et pruritus, cum scabendi desiderio intolerabili, hunc morbum comitantur. Postquam ulterius progressus est, debilitas, emaciatio totius corporis, pallor faciei, visus debilitas, cum pupillæ dilatatione, dolor capitis, vertigo, tinnitus aurium, tussis sicca, cum lateris dolore; pulsus interdum durus, interdum debilis et frequens, sed plerumque inæqualis; denique, corporis emaciatio, hujus morbi præsentiam satis manifestam reddunt. Cum morbus magis ingravescit, febrem hecticam, sudores frigidos, syncopen, cordis palpitationem, convulsiones, epilepsiam, denique, apoplexiam ipsam, nonnunquam facit. Sed omnium symptomatum quorum supra mentionem fecimus, nulla sunt, quibus fidem certam imponere possumus nisi vermes ipsi prius expuli fuerint. Abdominis dolor, tumor, et obstipatio, ex vermibus intestina infestantibus, atque irritatione sua spasmos et constrictiones excitantibus, nascuntur. Hi spasmi aëri extricato et fæcibus exitum prohibent, et perspirationem supprimunt, urinam limpidam efficiunt, atque salivæ secretionem minuentes sitim faciunt; tenesmus, diarrhœa, sellæ mucosæ, cibi fastidium, nausea, vomitus, cardialgia, atque halitus fœtidus, ex eadem

irritatione oriuntur. Cordis palpitatio, sudores frigidi, corporis languor, debilitas et emaciatio, bulimia, faciei et oculorum pallor, et alia hujusmodi symptomata, ex chyli absorptione, qui ad corporis sustentationem ire debet, a vermibus oriuntur. Pupillæ dilatatio, vertigo, tinnitus aurium, tussis et dolor lateris, ex harum partium cum ventriculo et intestinis consensu nascuntur. Epilepsia, convulsiones, et apoplexia, ex irritatione cerebro consensu eodem propagata oriuntur. Quoniam supra enumerata morbos alios multos præter vermes comitari solent, lectorem VIDERE oportet, ideoque quibus modis ab aliis morbis dignoscatur demonstrare aggrediar.

DE DIAGNOSI.

MORBI multi sunt cum quibus vermes confunduntur; duorum tamen solummodo hic mentionemfaciam, nempe, Hydrocephali interni incipientis, et Tabis mesentericæ, quippe quos *ex illis utplurimum difficillime, tamen signis sequentibus* unum ab altero dignoscamus.—In Hydrocephalo Interno, capitis dolor, a morbi initio ad-

est, atque alvus pertinaciter astricta est, vomitus frequens; lucis et soni intolerantia, atque strabismus et pupillarum dilatatio, multo frequentius adsunt. Sed in vermibus alvus sponte dejecit, et post cibum doloris remissio est. In Hydrocephalo, etiam, pulsûs major inæqualitas est, qui sæpe ex octoginta ad centum et quinquaginta ictus in eodem die variatur. In Hydrocephalo, appetitus cibi perpetuo deficit, sed in vermibus multum variatur. In Hydrocephalo, intermissiones adeo perfectæ sunt ut æger plane convalescere videatur, sed brevi symptomata cursu magis inæquali progrediuntur usque ad finem morbi.—A vermibus Tabes Mesenterica haud facile distinguitur, quoniam faciei rubor hecticus vel pallor lividus, corporis et animi debilitas, appetitus inæqualis, dyspepsia, obstipatio vel diarrhœa, abdomen durum et tumidum, cum musculorum emaciatione, et multis aliis symptomatis, quæ vermibus communia sunt, hunc morbum comitantur. Ani tamen et narium pruritus, atque pupillarum dilatatio, in Tabe Mesenterica nunquam adsunt, quorum symptomatum præsentia aut absentia hos morbos unum ab altero dignoscamus.

Nunc symptomatis quæ vermes in genere indi-

cant enumeratis, de his quæ speciem singulas indicant pauca dicam. Ardoris et pruritus circa anum, cum tenesmo, sensus, et irritatio penis, signa Ascaridibus propria sunt. Lumbrici tormina sæviora, præsertim circa umbilicum, ægro infligere solent, et cardialgiam, spasmos, et convulsiones multo sæpius quam alii excitant. Gravitatis, cum dolore aliquo in abdomine sensus, corporis emaciatio magna, bulimia insignis, syncope cum corpusculorum alborum dejectionibus, Tæniæ præsentiam indicant.

DE PROGNOSI.

Quamvis aliquando vermes periculum ingens non minitantur, atque sine injuria magna in corpore commorantur, frequenter tamen symptomata pessima etiam mortem inducunt. Lumbrici quam Tæniæ, et Tæniæ quam Ascarides, multo periculosiores sunt. Ascarides multum incommodi, sed parum periculi afferunt, et facile expellantur. Lumbrici, Tænia multum periculosiores sunt; nam intestina irritando spasmos et convulsiones excitant, et duodeni et jejuni tunicas per-

terebrant. Scriptores multi credunt colorem Lumbricorum qui expulsi sunt, in prognoseos formationem multum prodesse. Si color eorum, a sanguine quem ex intestinis exsuxerunt, rubicundus sit, pessimum signum putant. Si vermes cum variola, rubeola vel febribus conjungantur, hos morbos lethales reddi credunt, et quo major vermium numerus sit, eo majus periculum esse, et quo tenerior ætas, eo minus prognosin faustam futuram esse.

DE CURATIONE.

Adhuc mihi restat de medendi ratione tractare; quæ difficillima pars operis est, quod aggressus sum. In hujus morbi curatione indicationes quatuor sequentes ponere possumus: Primo, Vermes in intestinis necare: Secundo, Vel vivos vel mortuos a corpore expellere: Tertio, Generationem eorum futuram impedire: Quarto, Symptomata graviora allevare.

Prima indicatio remediorum adhibitione quæ vel viribus evacuantibus, chemicis, venenosis vel mechanicis pollent, efficienda est. Omnia medi-

camenta purgantia in hoc morbo generaliter usitata seriatim examinare inutile foret; præsertim cum consideremus eorum pleraque eodem modo operari, nempe motum peristalticum augendo intestinorum; quamvis alia, sicut Oleum Terebinthinæ vim chemicam venenosam possident. Medicamenta hujus classis quæ utilissima esse existimantur, Hydrargyri præparationes, Gambogia, Scammonium, Jalapa, Sulphur, Aloe, et Oleum Ricini et Crotonense, sunt. Calomela, quamvis totam expulsionem vermium haud semper efficiat, tamen multos dejicit, præcipue si cum pulvere Jalapæ vel Gambogiæ conjungatur. Gambogia, Scammonium, et Jalapa eodem modo agunt, nempe motum intestinorum peristalticum et muci excretionem promovendo, sed horum effectus, ut etiam Olei Ricini, notissimi sunt, ideoque mentionem non requirunt. Aloës pulvis, vel per os datus vel sub enematis forma, ad Ascaridum evacuationem plurimum confert. Oleum Crotonense, catharticorum quæ Materia Medica nobis suppeditat, unum haud dubie utilissimum est, quoniam quantitate minore quam ullum aliud purgat, ideoque irritabilitatem ventriculi (quæ sæpe in vermibus adest) non excitat.

Inter medicamenta vim chemicam et venenosam possidentia, hæc enumerari possunt: Oleum Terebinthinæ, Radix Spigeliæ Marilandicæ, et Cortex Geoffræææ inermis. Oleum Terebinthinæ vertiginem levem et ebrietatem, cum sensu ardoris haud injucundi in œsophago et faucibus excitat, atque, unciis duabus pro dosi datis, catharsin generaliter efficit, qua Tænia semper mortua expellitur. Stranguria, tenesmus, et alia symptomata gravia, ex parva potius quam ex magna dosi oriri observantur. Hic effectus insignis ex hoc accidere videtur, quod in parva dosi et multum diluta vasa intestinorum absorbentia intrat, atque ita ad renes, vesicam et urethram fertur, sed in magna dosi vasa hoc oleum imbibere recusant ideoque purgare solet. Si tenesmus ejus operationem insequitur, enema lactis tepidi commisti Oleo Olivæ hæc symptomata removet. Medicamentum secundum, vires chemicas et venosas possidens, est Radix Spigeliæ Marilandicæ. Hi quibus adhibitur primo hilaritate, deinde quasi inebrietate leni afficiuntur; his somnus profundus succedit, cujus post terminationem vermes mortui vel vix vivi lenis purgantis ope expelluntur. In quibusdam habitibus, aut indosi male ordinata, vires in-

signiter narcoticas possidere videtur, quidam auctores hos effectus ex parva potius quam magna quantitate oriri dicunt, quod parva dosi systema intrat, sed magna purgat. Experientia propria opinionem de hac re proferre non permittit; sed ecenseo, si magna quantitas detur, purganti quodam alio juncta, operationem ejus acceleratum iri, et sic minus temporis ad systema afficiendum concessum iri.—Medicamentum tertium vires chemicas et venenosas possidens, cujus hic mentionem faciam, cortex Geoffrææ inermis est; atque hoc remedium quæ natura nobis suppeditat ad lumbricos occidendos unum e potentissimis esse invenitur. Hic cortex in quantitate mediocri sumptus, alvum leniter solvit, et lumbricos mortuos vel maxime debilitatos expellit, atque nauseam, vomitum, catharsin excitat, sed periculi omnino immunis est. Sub forma pulveris decocti, syrupi vel extracti, administrari potest; sed decoctum et pulvis præferuntur.

Nunc pauca dicam de classe tertia, sive mechanice agente; atque hæc stanni et ferri limaturas, et Dolichon prurientem, complectitur. Ferri et stanni limaturæ eodem modo (ut probabile est) agunt, nempe acutorum spiculorum ope vermium corpora

perforando; quamvis multi stanni vires ex præsentia Arsenici cum eo conjuncto pendere credunt; adversus Lumbricos quam alios vermes, et in Tæniam quam Ascarides, multo magis pollet. Drachma dimidia ad drachmas duas gradatim aucta, ter quaterve in dies, per sex dierum spatium dari debet; deinde catharticum forte, cujus actione vermes fere expelluntur.

Nunc mihi medicamenti tertii mechanice agentis, nempe Dolichi prurientes, mentionem facere restat. Hoc remedium omnium quæ mechanice agunt certe potentissimum est. Setæ superficiem externam siliquæ tegentes sunt partes usitatæ; hæ sunt formæ conicæ, et acies earum adeo acuta est, ut si cuti applicentur, pruritum intolerabilem et inflammationem excitent. Ex hoc effectu medici eadem symptomata periculosa in ventriculo et intestinis metuebant; sed sine minimo incommodo sumi posse, experientia nunc demonstrat. Dolichon mechanice solummodo agere, ex duabus causis apparet; primo, Tinctura, infusum vel decoctum ejus nihil valet; secundo, Setæ Lumbricis vivis e corpore expulsis sparsæ, cutem eorum penetrant. Modus hanc medicinam in usum præparandi est, setas syrupo

addendo, donec formam electuarii sumat. Cujus cochleare parvum bis in die, per dierum quatuor spatium, sumatur, et tunc catharticum forte, cujus actione vermes ut plurimum expelluntur.

Secunda indicatione plene peracta, tertia jam consideranda est, nempe generationem eorum futuram impedire. Hoc tonicis omnigenis, nempe Ferri præparationibus, Cinchona, multis amaris, sicuti Quasia, Artemisiæ Santonicæ seminibus, Tanaceti foliis, et aliis hujus generis medicamentis, efficiendum est. Cibus generis nutrientissimi esse debet. Caro recens, gelatina, panis bene fermentatus et diu pistus, vini Madeirensis cyathi duo vel tres in dies, huic proposito bene respondent; exercitatio frequens, præcipue equestris et navalis, citra fatigationem; balneum frigidum marinum, et mundities, usurpentur. Alvus regularis habenda est.

Nunc pauca de indicatione quarta dicere restat, nempe spasmos et tormina gravissima allevare intestinorum, quæ a vermibus producuntur. Hæc symptomata Opii grano uno vel duobus hora somni, vesicatorii abdomini applicatione, vel balneo calido, et mane sequenti purgantis administratione, levanda sunt. Vertigo, flatus, ructus, aci-

ditas et dolor ventriculi, antacidis et carminativis levata sunt. Tenesmus et pruritus ani enemati ex lacte tepido, et oleo cum tincturæ opii aliquantulo, cedunt. Dysuria ex consensu oriente ab Ascaridibus sæpissime inducitur, atque tinctura muriatis ferri levatur. Convulsio post vermium expulsionem sæpe perstat; et prima ab irritatione inducta ex consuetudine confirmatur. Cum convulsionis impetum provideamus, emetico dato prohibere possumus. Mutatio aëris utilis est. Opii, ætheris, nitratis argenti, et ammoniareti cupri, etiam periculum facere possumus. Emaciatio tonicis et diæta nutriente, diarrhœa antacidis atque catechu, kino, et opio, debellandæ sunt.

FINIS